

SACRORUM
BIBLIORUM
PARTS ALTERA
COMPLETENS
PROPHETAS
CUM LIBRIS
MACHABEORUM
ET
NOVUM TESTAMENTUM



Capilla Alfonso
Biblioteca Universitaria



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL MUNICIPIO DE NUEVO LEON

PROPHETIA ISAIÆ.

PROPHETÆ in maiores 4. & minores 12. vulgò distribuuntur. Maiores dicuntur quorum maiora sunt opera; minores quorum minora. Hebræi tres tantum maiores nominant: nam Danielem prophetis adscribendum non magis censent quam Davidem; non quod non multa eximia prædixerint; sed quia vitæ genus propheticum non sectabantur; cum alter Rex esset, alter Satrapa. Apud Græcos præcedunt minores: Latini maioribus priorem dant locum. Græcos id spectasse probabile est, quod inter minores aliqui sint valde antiqui. Est enim hic ordo temporis inter prophetas, ac prophetarum opera, quantum ex eorum scriptis ac certis quibusdam comecturis assequi possumus. Oseas, Ioël, Amos, Isaias, Ionas, Abdias, Michæas, Nabum, Ieremias, Sophonias, Habacuc, Daniel, Ezechiel, Aggæus, Zacharias, Malachias. Initium à rege Azaria sive Ozia, qui anno mundi 3194. auspiciatus est: Finis extructo templo ac reedificatâ urbe. Quod ad Darium Nothum extendere possis, cuius obiter meminit Nehemias, c. 12. v. 22. cui æqualem Malachiam facimus. Hic autem Darii regnum adeptus est anno mundi 3581. ad finem tendente anno 1. Olimp. 89. Ut totum illud prophetarum tempus per 400. annorum spatium facile extendatur.

ISAIAS cuius nomen Salus Domini interpretatum est; Propheta sanctus, magnus, & fidelis, ab Ecclesiastico dicitur; qui id quoque addit de eo; Spiritu magno vidit ultima, & consolatus est lugentes in Sion: usque in sempiternum ostendit futura, & abscondita antequam evenirent. cap. 48. 27. ut etiam si non temporis, meriti quidem ratione aliis omnibus iure præponatur: quippe à Synagoga & ab Ecclesia maximi semper habitus. Nam etsi multa ex iis quæ prædixit Isaias, ad Iudeorum & finitimorum populorum, necnon Assyriorum, Babyloniorumque historiam videantur pertinere; multò simplicius tamen limpidiusque in res Christi & Ecclesiæ plurima conveniunt, quarum hæc umbram in se continebant. Eo itaque animo, omnia nos sic respicere & accipere debemus: sive comminationes & onerosas eius prophetias legamus, quæ ad caput 30. ferè extenduntur, sive consolationes quæ inde subsequuntur; sive promissiones & spes eximias, quæ passim toto opere sparguntur. Immo, etiam hoc adjiciendum, ait Hieronymus, quod non tam propheta dicendus sit quam EVANGELISTA: Ita enim universa Christi, Ecclesiæque mysteria ad liquidum perfectus est, ut non putes eum de futuro vaticinari, sed de præteritis historiam contexere. Vir per omnia magnus: Primo, splendore generis; nam Amosi, fratris Amasia regis Iudæ fuit filius: Secundo vitæ sanctitate, ut eius scripta testantur: Tertio eloquentiâ, quippe vir nobilis & urbanæ eloquentiæ; unde accidit ut præ ceteris florem sermonis eius, translatio non potuerit conservare, inquit Hieronymus. Quarto constantiâ in adversis, & gloriosa morte; quem serâ lignæ ab impio rege Manasse dissectum, cum eius monita ferre non posset, communis fert Hebræorum traditio, ut docent uterque Talmud, Iustinus Martyr, Tertullianus, Hieronymus, Basilius, & alii. Hanc ergo Iudeorum traditionem si sequamur, Hieronymique sententiæ subscribamus, qui hunc ab anno 25. Ozia regis, prophetandi munus auspiciatum fuisse scribit; integro ferè seculo eum hoc munere functum reperiemus: eum verisimile non sit Manassen in tantum virum nisi cumulata demum malitiâ, insanisse.

CAPUT PRIMUM.

Tempus quo propheta ait Isaias super Iudam & Ierusalem, quæ ob suam ingratitude nem aliâque scelera, omni penarum genere à Deo percussa, non est ad eum reversa: quamobrem dicit miserrimam imminere ipsi desolationem: victima & solemnitates ipsius rejiciuntur: & quid facere debeat ut in gratiam à Deo recipiatur: rursus ob defectionem à pristina virtute in varia peccata, gravem vindictam, & futuram tandem ipsius liberationem & in feliciter statum restitutionem vaticinatur.

* Fratris Amasia regis Iudæ.

Visio Isaiæ filij Amos *, quam vidit super Iudam & Ierusalem

- in diebus Ozia, † Ioathan, Achaz, & Ezechia, regum Iudæ. † Ann. regni eius 25. M. 3219. Ant. Chr. 785. * Osee 11. 3.
2. Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivit *, & exaltavi: ipsi autem spreverunt me.
 3. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsep domini sui: Israël autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.
 4. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, femini nequam, filiis sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israël, abalienati sunt retrorsum.
 5. Super quo percutiam vos ultra, adden-

dentes pravariationem? omne caput languidum, & omne cor merens.

6. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas: vulnus, & livor, & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.

* i. defecretur (infra 5. 6.) vastata a Chaldæis Bafil. vel etiam Romanis. Cyril. Infr. 5. 6. * Rom. 9. 29. * Gen. 19. 24.

7. Terra vestra deserta, civitates vestra succensa igni: regionem vestram coram vobis alieni devorant, & desolabitur sicut in vastitate hostili.

8. Et derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, & sicut civitas, quæ vastatur.

9. * Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, * quasi Sodoma fuisset, & quasi Gomorrha similes essemus.

10. Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrha.

* Jer. 6. 20. Amos 5. 22.

11. * Quod mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum. holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui.

12. Cum veniretis ante conspectum meum, quis quaesivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis?

13. ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi. Neomeniam, & sabbatum, & festivitates alias non feram, iniqui sunt cætus vestri:

14. calendæ vestras, & solemnitates vestras odit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.

15. Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis: & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: * manus enim vestra sanguine plenæ sunt.

* Infr. 59. 3. * 1. Petr. 3. 11. FER. 4. POST DOM. 4. QUADR. EPIST. 2.

16. * Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perverse,

17. discite benefacere: quaerite iudicium, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam.

18. Et venite, & arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabitur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.

19. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.

20. Quod si nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis: gladius devorabit vos, quia os Domini locutum est.

21. Quomodo facta est meretrix civitas

fidelis, plena iudicij? iustitia habitavit in ea, nunc autem homicida.

22. Argentum tuum verum est in scoriâ: vinum tuum mistum est aqua.

23. Principes tui infideles, focii furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. * Pupillo non iudicant: & causa viduæ non ingreditur ad illos.

* Jerem. 5. 28.

24. Propter hoc ait Dominus Deus exercituum fortis Israël: Heu, consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.

25. Et convertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriâ tuam, & auferam omne stannum tuum.

26. Et restituam iudices tuos ut fuerunt prius, & consiliarios tuos sicut antiquitus: post hæc vocaberis civitas iusti, urbs fidelis.

27. Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iustitia:

28. & conteret scelestos, & peccatores simul: & qui dereliquerunt Dominum, confumentur.

29. Confundentur enim ab idolis, quibus sacrificaverunt: & erubescetis super hortis, quos elegeratis,

30. cum fueritis velut quercus defluentibus foliis, & velut hortus absque aqua.

31. Et erit fortitudo vestra, ut favilla stuppæ, & opus vestrum quasi scintilla: & succendetur utrumque simul, & non erit qui extinguat.

CAPUT II.

Ad montem Domus Domini fluent omnes gentes, & de Sion exibit lex, nec ultra bello molestabitur: domus vero Iacob ob idololatriam, avaritiam & reliqua scelera abjicietur: superbi humiliabuntur, & solus Dominus exaltabitur.

1. Verbum, quod vidit Isaias, filius Amos, super Iuda & Ierusalem.

Mich. 4. 1. FER. 4. QUAT. TEMP. ADVENT. EPIST. 1.

2. Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.

3. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.

4. Et iudicabit Gentes, & arguet populos multos: & conflagrant gladios suos in vo-

CAPUT III.

Futura Iudeorum ob sua peccata gravis afflictio ac desertio, & puerorum, atque effeminatorum dominium: peccata superiorum arguit: item superbiam & curiosam lasciviam filiarum Sion in ignominiam vertendam prædicit.

vomeris, & lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.

5. Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine Domini.

6. Proiecisti enim populum tuum, domum Iacob: quia repleti sunt ut olim, & augures habuerunt ut Philisthiim, & pueris alienis adhæserunt.

7. Repleta est terra argento & auro: & non est finis thesaurorum eius:

8. & repleta est terra eius equis: & innumerabiles quadrigæ eius. Et repleta est terra eorum idolis: opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum.

9. Et incurvavit se homo, & humiliatus est vir: ne ergo dimittas eis.

10. Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini, & à gloria maiestatis eius.

11. Oculi sublimes hominis humiliati sunt, & incurvabitur altitudo virorum: exaltabitur autem Dominus solus in die illa.

12. Quia dies Domini exercituum super omnem superbum, & excelsum, & super omnem arrogantem: & humiliabitur.

13. Et super omnes cedros Libani sublimes, & erectas, & super omnes quercus Basan.

14. Et super omnes montes excelsos, & super omnes colles elevatos.

15. Et super omnem turrin excelsam, & super omnem murum munitum,

16. & super omnes naves Tharsis, & super omne, quod visu pulchrum est.

17. Et incurvabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & elevabitur Dominus solus in die illa:

18. & idola penitus conterentur:

* Osee 10. 8. Luca 23. 30. Apoc. 16.

19. * & introibunt in speluncas petrarum, & in voragine terræ à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram.

20. In die illa projiciet homo idola argenti sui, & simulachra auri sui, quæ fecerat sibi ut adoraret, talpas & vesper-tillones.

21. Et ingredietur scissuras petrarum, & in cavernas saxorum à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram.

22. Quiescite ergo ab homine, cuius spiritus in naribus eius est, quia excelsus reputatus est ipse.

1. Ecce enim dominator Dominus exercituum auferet à Ierusalem, & à Iuda validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ:

Describe-re videtur illa tempora de quibus 4. Reg. 24. 25.

2. fortem, & virum bellatorem, iudicem, & prophetam, & ariolum, & senem:

3. Principem super quinquaginta, & honorabilem vultu, & consiliarium, & sapientem de architectis, & prudentem eloquij mystici.

4. Et dabo pueros principes eorum, & effeminati dominabuntur eis.

* Eccl. 10. 16.

5. Et irruet populus, vir ad virum, & unusquisque ad proximum suum: tumultuabitur puer contra senem, & ignobilis contra nobilem.

6. Apprehendet enim vir fratrem suum domesticum patris sui: Vestimentum tibi est, princeps esto noster, ruina autem hæc sub manu tua.

7. Respondebit in die illa, dicens: Non sum medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum: nolite constituere me principem populi.

8. Ruit enim Ierusalem, & Iudas concidit: quia lingua eorum & adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos maiestatis eius.

9. Agnitio vultus eorum respondit eis: & peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt: væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala.

10. Dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet.

11. Væ impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei.

* Ezech. 13. 18.

12. populum meum exactores sui spoliaverunt, & mulieres dominatæ sunt eis. Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.

13. Stat ad iudicandum Dominus, & stat ad iudicandos populos.

14. Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui, & principibus eius: vos enim depasti estis vineam, & rapina pauperis in domo vestra.

15. Qua-

15. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis, dicit Dominus Deus exercituum?

16. Et dixit Dominus: Pro eo quod elevatae sunt filiae Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant:

17. Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit.

18. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas,

19. & torques, & monilia, & armillas, & mitras,

20. & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures,

21. & annulos, & gemmas in fronte pendentes,

22. & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus,

23. & specula, & sindones, & vittas, & theriftra.

24. Et erit pro suavi odore fetor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine calvitium, & pro fascia pectorali cilicium.

25. Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in praelio.

26. Et mœrebunt atque lugebunt portae eius, & desolata in terra sedebit.

CAPUT IV.

Septem mulieres unum maritum appetent: germen Domini exaltabitur: & reliquia Israël ablutis earum sordibus salvaerunt, magnaque securitate & felicitate afficientur.

SABB. PENTEC. PROPHE- TIA 4.

1. **E**T apprehendent septem mulieres virum unum in die illa, dicentes: Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur: tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.

2. In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terrae sublimis, & exultatio his, qui salvati fuerint de Israël.

3. Et erit: Omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Ierusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita in Ierusalem.

4. Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Ierusalem laverit de medio eius in spiritu iudicij, & spiritu ardoris.

5. Et creabit Dominus super omnem locum Montis Sion, & ubi invocatus est, nubem per diem, & fumum & splendorem ignis flammantis in nocte: super omnem enim gloriam protectio.

6. Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab aestu, & in securitatem, & abscon- sionem à turbine, & à pluvia.

CAPUT V.

Sub figura vineae sterilis in direptionem tradita propheta iudicium & desertionem Iudeorum, ipsorumque peccata describitur: avaritia in coadunandis possessionibus: ebrietas & contemptus scientiae Dei: inferni dilatatio: humiliatio superbiorum, & exaltatio Dei: felicitas quoque iustorum, & va diversis peccatorum generibus denuntiatur: & signum in nationibus elevandum contra Iudeos.

1. **C**Antabo dilecto meo canticum patruelis mei vineae suae. Vineae facta est dilecto meo in cornu filio olei.

2. Et sepivit eam, & lapides elegit ex illa, & plantavit eam electam, & aedificavit turrin in medio eius, & torcular extruxit in ea: & expectavit ut faceret uvae, & fecit labruscas.

3. Nunc ergo habitatores Ierusalem, & viri Iuda, iudicate inter me & vineam meam.

4. Quid est quod debui ultra facere vineae meae, & non feci ei? an quod expectavi ut faceret uvae, & fecit labruscas?

5. Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineae meae, auferam sepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in conculcationem.

6. Et ponam eam desertam: non putabitur, & non fodietur: & ascendent vepres & spinæ: & nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.

7. Vineae enim Domini exercituum domus Israël est: & vir Iuda germen eius delectabile: & expectavi ut faceret iudicium, & ecce iniquitas: & iustitiam, & ecce clamor.

8. Vae qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis usque ad terminum loci: numquid habitabitis vos soli in medio terrae?

9. In auribus meis sunt haec, dicit Dominus exercituum. Nisi domus multae deserta fuerint grandes, & pulchrae absque habitatore.

10. De-

10. Decem enim iugera vinearum facient lagunculam unam, & triginta modii sementis facient modios tres.

11. Vae qui confurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino aestuetis.

12. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis vestris: & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis.

13. Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles eius interiorunt fame, & multitudine eius siti exaruit.

14. Propterea dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino: & descendit fortes eius, & populus eius, & sublimes, gloriosique eius ad eum.

15. Et incurvabitur homo, & humiliabitur vir, & oculi sublimium deprimentur.

16. Et exultabit Dominus exercituum in iudicio, & Deus sanctus sanctificabitur in iustitia.

17. Et pascentur agni iuxta ordinem suum, & deserta in ubertatem versa advenae comedent.

18. Vae qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.

19. Qui dicitis: Festinet, & citò veniat opus eius, ut videamus: & appropiet, & veniat consilium sancti Israël, & sciemus illud.

20. Vae qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.

21. * Vae qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.

22. Vae qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.

23. Qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo.

24. Propter hoc, sicut devorat stipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit; sic radix eorum quasi favilla erit, & germen eorum ut pulvis ascendet. Abiecerunt enim legem Domini exercituum, & eloquium sancti Israël blasphemaverunt.

25. Ideo iratus est furor Domini in populum suum, & extendit manum suam super eum, & percussit eum: & conturbati sunt montes, & facta sunt morticina eorum quasi stercus in medio platearum.

In his omnibus non est averfus furor eius, sed adhuc manus eius extenta.

26. Et elevabit signum in nationibus procul, & sibilabit ad eum de finibus terrae: & ecce festinus velociter veniet.

27. Non est deficiens, neque laborans in eo: non dormitabit, neque dormiet, neque solvetur cingulum renium eius, nec rumpetur corrigia calceamenti eius.

28. Sagittae eius acutae, & omnes arcus eius extenti. Ungulae equorum eius ut fillex, & rotae eius quasi impetus tempestatis.

29. Rugitus eius ut leonis, rugiet ut catuli leonum: & frendet, & tenebit praedam: & amplexabitur, & non erit qui eruat.

30. Et sonabit super eum in die illa sicut sonitus maris: aspiciemus in terram, & ecce tenebrae tribulationis, & lux obtenebrata est in caligine eius.

CAPUT VI.

Isaias visâ Domini maiestate condemnat se quod tacuerit, sed mundatis labiis suis offert se ad predicandum: prae dicitur excandus populus usque ad desolationem civitatum Iudae, & eius quae derelicta erat futura consolatio.

1. **I**N anno, quo mortuus est rex Ozias, * vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum: & ea quae sub ipso erant, replebant templum: * Ann. M. 3246. Ant. Chr. 758. Vide 4. Reg. 15. 7.

2. Seraphim stabant super illud: sex alae uni, & sex alae alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.

3. Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: * Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius. * Apoc. 4. 8.

4. Et commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis, & domus repleta est fumo.

5. Et dixi: Vae mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & regem Dominum exercituum vidi oculis meis.

6. Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.

7. Et tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.

8. Et audivi vocem Domini dicentis: Mmm Quem